pendentibus pape et cardinalibus in testimonium vite sue. Duriorem quoque papa innovavit sententiam. Licet ipse cum sua industria et liberalitate amicos sibi accumulat, partem patris in Tuscia et in Lombardia fovet, Gibilinam [a] tamen pars de Florencia pellitur. Tunc erat in curia VIII us ? cardinalis de dyocesi Florentina nomine Octavianus, cui impositum fuit, quod fraudem commiserat in exercitu contra Manfredum et in curia multum habitus est suspectus. Rex Francie expleto ~~[illegible]~~ muro Sydonis in Franciam rediit relictis C militibus ad custodiam Ptholomaydis. MCCLV Tridentini recesserunt a dominio Ezelini. In Lombardia vero duo erant tyranni multum faventes Manfredo Pelavicinus [b] et Ezelinus, contra quos missus est legatus in favorem amicorum ecclesie in dicta provincia et fuit dominus Philippus archiepiscopus Ravenas homo strenuus [c], qui congregans contra eos exercitum captus fuit in bello ab Ezelino, qui iam ab Innocentio tanquam hereticus fuerat excommunicatus. Sicque Manfredus fortificatur in tota Ytalia; pro cuius quoque favore nobiles quos suspectos habuit, de regno expulit aliis substitutis. Eodem anno Marcus Iustinianus venit Achon consul Venetorum et present-

a) Gibiliaz
unus?

b) pelavicini c

c) strēnuus c.